celebrationem eſt ſacramenti ꝯſumatio: ⁊ hoc cōtinet tria: primo preparationem: ſecūdo ſacramēti perfectionem: tertio ſumptionem eius. Preparatio aūt populi ⁊ miniſtroꝝ ⁊ ſacerdotis ad tm̄ ſacramentū per deuotā dei laudem fit. Unde in prefatiōe in qua ꝯtinetur dicta preparatio tria cōtinentur. Primo ppl̄i excitatio ad laudē dei. Ubi ſacerdos dñs vobiſcū dicit: quod ad totā iſtam partē referendum eſt: inuitat ad mentis erectionē dicens: ſurſū corda: vbi dicit Cyprianus. de cōſe. di. i. c. qñ. Ubi dicit: qñ admonet ppl̄s nil ſe aliud cogitare q̄ deū: deinde ad gratiaꝝ actōes dicēs. Gratias agamus dño deo nr̄o. Secundo deum implorat ad laudem ſuſcipiendā: oſtendens laudis debitum dicens. Uere dignū rōne dn̄ij. Unde ſubdit: dn̄e ſācte. Et iuſtum rōe paternitatis: vnde ſubdit: pater oīpotens. Equū rōne diuinitatis: vn̄ ſubdit: eterne deus. ⁊ ſalutare rōne redemptionis: vnde ſequitur per xp̄m. d. n. Quādoq; vero adiūgitur aliq̄ laudis materia ſecundū ꝯgruentiam ſolennitatis: vt qui per reſurrectionē ⁊ huiuſmodi. Et nota ſecundū gulielmū. d. q̄ ꝑfatōes hymnos ⁊ tractus gelaſius papa compoſuit ⁊ cātu ⁊ eliato ſermone dictauit. Et de cōſe. di. i. inuenimus. Ponuntur nouē prefationes canonizate. ſ. de reſurrectiōe xp̄i: de aſcēſione: de pētecoſte: de trinitate: de natiuitate dñi: d̄ epiphania: d̄ cruce ſeu paſſione: de apoſtol̄: ⁊ de ieiunio in. xl. Sed vrbanus papa addidit decimū. ſ. d̄ beata virgīe. Proponitur etiā exemplum laudis. ſ. in angelis: dum ſubditur: per quē maieſtatē tuā ⁊ cetera. Tertio ppl̄us laudes exoluit ⁊ diuinitati aſſumēs verba angeloꝝ. ſ. ſanctus ſanctus ſanctus dñs deus ſabaoth ⁊ ceťa. Yſ. vi. Sabaoth nomē eſt hebraicū ⁊ latine īterpretatur exercituū vel militiaꝝ. ſ. angeloꝝ: vbi etiā exprimitur myſterium trinitatis ꝑſonaꝝ: qꝛ dicitur ter ſāctus: ⁊ vnitas eſſētie qꝛ dominus deus: ⁊ preſentia diuine maieſtatis: qꝛ pleni ſunt ⁊ cetera. Exoluit etiam laudes humanitati xp̄i dicens: cum pueris hebreoꝝ: benedictus qui venit ⁊ cetera. Mat. xi. oſāna hebraicum nomen eſt: ⁊ latine interpretatur obſecro ſalua: ⁊ ſecundū gulielmem ſixtus papa iſtud ſanctus ſtatuit. ¶ Secundū pertinens ad ſacramenti cōſumationem: eſt eius perfectiō ſeu confectio. Et hec ꝑs diuiditur in tres partes ſecundū tria que ꝑtinent ad integritatē ſacramenti aliquid. ſ. quod eſt ſacramētum tantū. ſ. materie oblate bn̄dictio: ⁊ aliquid quod eſt res ⁊ ſacramentū. ſ. corpus xp̄i verum: ⁊ aliquid quod eſt res tantum. Et ſecundū gulielmum du. ne muſce venientes. i. vane cogitationes perdant ſuauitatem vnguenti. i. oratōis: dici pōt q̄ canon debet dici expedite non moroſe: ⁊ ne auditoribus tediū generetur: nō tñ nimis feſtinanter: ne ſacrificium fiat ſine ſale diſcretiōis ⁊ deuotionis. Debet etiā legi in libro: ne vllus error contingere poſſit. Dicit āt totū iſtud. ſ. a te igitur vſq; ad cōmunionē canon: qꝛ rl̄is patrum cōpoſitus eſt. Canon. n. grece latine rl̄a: qꝛ ꝑ hūc fit regulariter conſecratio ſacramenti. Quantū ad ꝑmum petit ſacerdos oblationis bn̄dictionē. d. te igitur clementiſſime ⁊ ceťa. Et q̄ ſe īclinans hoc dicit ſignificat humilitatē ⁊ obedientiā ex q̄ xp̄s paſſus eſt. Et bn̄dicas hec dona que nobis a deo data ſunt: hec munera que. ſ. deo a nobis oblata: ſacrificia ad noſtram ſalutem deo a nobis ſacrificata: illibata dicuntur. i. incorrupta ⁊ quo ad materiam: qꝛ materia dꝫ eſſe apta: ⁊ quo ad rem continendā id eſt corpus xp̄i: ⁊ quo id eſt corpus xp̄i: ⁊ quo ad corpus xp̄i myſticum ibi ſignificatum. Et nota ſecundū tho. in tertia parte. q. 83. ar. 4. q̄ in celebratione miſſe ⁊ precipue ab iſto loco vſq; ad pax dñi vtitur ſacerdos frequēter crucis ſignatione ad exprimendā paſſionē xp̄i: que eſt ad crucem terminata. Eſt aūt paſſio xp̄i quaſi quibuſdam gradibus peracta. Nam primo fuit xp̄i traditio: que facta fuit a iuda ⁊ a iudeis: ⁊ hoc ſignat trina crucis ſignatio ſup iſta verba hec dona. Secunda fuit xp̄i venditio: que facta fuit ſacerdotibus ſcribis ⁊ phariſeis: ad quod d̄ſignandū fit iterū trina crucis ſignatio ſuper illa verba bn̄dictam ⁊ cetera. Additur aūt duplex conſignatio ſuper illa verba: vt corpus ⁊ cetera: ad deſignandū perſonā venditi ⁊ venditoris. Tertio fuit prefiguratio xp̄i facta in cena: ad quod deſignandū fiunt due cruces: vna in conſecratione corporis: alia in conſecratione ſāguinis. Quarto fuit paſſio ipſa xp̄o exhibita ad deſignandū quinq; plagas chriſti: fit quinquuplex crucis ſignatio ſuper illa verba hoſtiam purā ⁊ cetera. Quinto repreſentatur extēſio corporis in cruce ⁊ effuſio ſanguinis ⁊ fructus paſſionis: fit triplex conſignatio ſup illa verba: corpus ⁊ ſanguinē ſūpſerimus omni benedictione ⁊ cetera. Sexto repreſētatur triplex oꝛo quā fecit in cruce. Unā ꝓ pſecutoribus cū dixit: pater ignoſce: luce. 23. c. Aliā ꝓ liberatōe a morte cum dixit: de⁹ meus luce. 23. c. ⁊ cetera. Tertiā ꝓ adeptione glīe cū dixit paṫ in manus tuas: luce. 23. c. ⁊ cetera. Et ad hoc ſignificandū fit trina crucis ſignatio ſup illa verba: ſanctificas ⁊ ceťa. Septimo repreſentantur tres hore: qbus ſtetit in cruce. ſ. a ſexta vſq; ad nonam: ⁊ ad hoc ſignificandū fit trina crucis ſignatio ad illa verba: per ipſum ⁊

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cetera. Octauo repreſẽtatur ſeparatio aīe a corpore
per duas cruces ſubſequẽtes factas extra calicem.
Nono repreſentatur reſurrectio xpi tertia die fa
cta per tres cruces: q̄ fiunt ad illa verba: pax dñi.
hec tho. 3. p. q. 83. ar. 4. ad. 5. Reuertendo ad ſupio
ra: poſtq̄ ſacerdos petijt bñdictionẽ oblatōis. d.
hec dona ⁊ cetera. Deinde petit ſalutem pro offe/
rentibus ⁊ his ꝓ quibus offertur: cū dicit: in pri/
mis ⁊ cetera. Ubi primo ꝯmemorat eos ꝓ quoꝝ
vtilitate offertur hoſtia tāq̄ ad generale ſtatutū
eccleſie: quāq̄ ad ſpeciales pſonas ibi memento.
Oratur ergo primo ſm gulielmum du. ꝓ eccleſia
catholica. i. vniuerſali. Secundo ꝓ papa: cū dicit̄
vna cū famulo tuo ⁊ cetera: q̄ verba addidit cle/
mens papa. Tertio ꝓ epo ſuo: cū dicitur antiſtite.
Antiſtes tñ ipſe celebrās nō dꝫ ea dicere. Et ī ro
ma ēt dici nō dꝫ antiſtite: qꝛ antiſtes illius ciuita/
tis ē papa ipſe iam dictus. Quarto ꝓ rege. Orare
aūt ꝓ rectoribus docet apl's. i. thi. 2. c. Ptās eius
eſt duplex. ſ. eccleſiaſtica ⁊ ſecularis. di. 96. duo.
Quinto orat ꝓ oībus orthodoxis: quod nomen
eſt grecū: ⁊ interpretatur recte glorians. Ortho/
doxus qui. ſ. deū recte fidei confeſſione glificat.
Quantū vero ad ſpeciales pſonas dicit: memẽto
dñe ⁊ ceta. Ubi pōt orare ſilenter pro quocunq̄
vult vno vl' pluribus: nō tñ dꝫ hic orare pro aliq̄
defūcto: qꝛ ꝓ defunctis orat̄ in ſecūdo memẽto:
⁊ cū deus nihil ignoret vel obliuiſcat̄: dr̄ tñ ei vt
recordetur. ſ. ad miſerendū. Oratur ⁊ ꝓ circunſtā
tibus cū dr̄: ⁊ oīum circūſtantiū: vbi oſtendit̄ vti/
litas magna ī audiēdo miſſā: cū pro illis ſpāliter
oretur: hec oīa: guliel'. du. Et qꝛ citius exauditur
iuſtus q̄ peccator: ideo q̄ntū ad orōnes melius ē
audire miſſā boni ſacerdotis q̄ mali ceteris pari
bus ſm alb. q̄uis quātū ad virtutẽ ſacramenti ⁊
miniſterij publici nō ſit differentia īter bonum ⁊
malū miniſtrū. i. q. i. intra catholicā. Et nota q̄ d̄
cōſe. di. i. de noībus cum glo. eius dr̄: q̄ nō debet
noīari is ꝓ quo oratio fit nec in miſſa nec in orō
ne eius vel ſecreta miſſa. Secundo ſecundū tho.
in. 4. di. 8. in expoſitiōe littere cōmemorat eos ī
quoꝝ offertur reuerentia: ibi: cōmunicantes ⁊ ce/
tera. Et ponitur virgo q̄ xpꝫ ī tēplo obtulit: apli q̄
ritum offerendi nobis tradiderūt: martyres qui
ſeipſos deo obtulerunt: nō aūt confeſſores: qꝛ d̄
eis antiquitus nō ſolēniçabat ecclia: vel qꝛ nō ſūt
paſſi ſicut xpus: cuius paſſio hic recolitur. Et ſecū
dū gulielmū du. ꝯmunicantes addidit canoni ſy
rius papa. Et in hac cōmemoratione ſanctorum
ſeruat eccleſia: qd̄ antiquitus agere cōſueuit: vt. ſ. ī
orationibus ſuis recolat pr̄um memoriā: quate/
nus coꝝ meritis ſuffragantibus facilius obtineat
qd̄ iplorat. Sicut moyſes orando īterpoſuit me/
moriā patrū. d. Recordare abrahā iſaac ⁊ iacob
⁊ cetera. exodi. 32. c. Tertio concluditur expreſſe
q̄ petatur ipetrandū. dū dr̄: hanc igitur oblatio/
nē ⁊ cetera. Et iſtud ſecundū gulielmū du. adiun/
xit leo papa vſq̄: placat' accipias. Beat' vō gre
go' reſiduū vſq̄: iubeas grege numerari. ¶ Quā

oblationẽ. hec pars ad cōſecrationẽ ptinet: q̄ tria
continet. Primo. n. iplorat̄ur cōſecrantis virtus.
Secūdo pficitur cōſecratio ibi: q pridie. Tertio
exprimit̄ rei cōſecrate cōmemoratio ibi: vnde ⁊
memores. ¶ Quantū igitur ad primū nota ſecū
dum tho. in. 4. q̄ illa verba bñdictā: poſſunt re/
ferri vno mō q̄tū ad id qd̄ eſt in ſacramento con
tentū. i. ad xpm qui eſt hoſtia. Unde dicit: benedi
ctā: ab omni macula peccati imunis. aſcriptam. i.
preſiguratā figuris veteris teſtamēti ⁊ predeſti/
natione diuina preordinata. ratā: qꝛ nō eſt tranſi
toria. rationabilē: propter congruitatem ad placā
dum. acceptabilem propter efficaciā: facere digne/
ris: tu. ſ. dus pr̄. Alio mō poſſūt referri ad effectū.
Unde dicit bñdictā: per quā bñdicimur: ⁊ aſcri/
ptam: per quā celis aſcribamur. ratam: ꝑ quā ī mē
bris xpi cenſeamur. rationabilē: ꝑ quā a beſtiali
ſenſu eruimur. acceptabilē: per quā dō accepti ſi
mus. Poſſunt ēt referri ad ipſā hoſtiā: que eſt ſa/
cramentū tantū. ¶ Quantū ad ſecundū. ſ. qui pri
die q̄ pateretur ⁊ cetera. hec verba alexander pa
pa dicit̄ addidiſſe ſecundū gulielmū du. ⁊ cum ſa
cerdos dicit: accepit panē: dꝫ ſumere hoſtiā in ma
nibus: que hoſtia de cōi more fit rotunda in mo/
dum denarij ſm gulielmū. tū qꝛ xp̄s qui ibi eſt pᵒ
cōſecrationē: denarijs venditus fuit. tum qꝛ ipſe
vt denarius ꝓmittitur in premiū. tū qꝛ forma ſpe
rica deſignat eternitatē quā hꝫ deus. Et eleuatis
oculis ī celū ⁊ cetera. Nota q̄ nō reperitur ī euā
gelijs xp̄m tunc eleuaſſe oculos in celū: nec etiam
in conſecrando ſāguinē dicit aliquis euangeliſta
ipſū dixiſſe hec duo: q̄ ponūtur in forma ꝯſecra
tionis ſanguinis. ſ. noui ⁊ eterni teſtamenti myſte
rium fidei. Et nihilominus credendū ē ipſū ſic fe
ciſſe ⁊ dixiſſe. Nā forma ipſa tradita eſt eccleſie
a beato petro ⁊ alijs aplis: q conſecrationi īterfue
runt vt dr̄ in decret. extra de celeb. mi. c. cū mar/
the. Nec obſtat q̄ euangeliſte hoc non ponunt.
Multa. n. omiſerūt ſcribere de his q̄ fecit ⁊ dixit
xp̄s: vt illud quod dicit paul. actuum. xx. c. vbi ait
xp̄m dixiſſe: qꝛ beatius eſt dare q̄ accipere: ⁊ qd̄
narrat. i. corint. 15. de xp̄o q viſus pluſquā qngen
tis fratribus ſimul: ⁊ viſus eſt iacobo. ſ. reſuſcitatꝰ
⁊ ioānis. xx. c. ⁊ tho. 4. ſ. di. 8. q. 2. ar. i. q. 4. ad. 5. ar.
ſic ⁊ iſta omiſerunt: q̄ tñ fecit vt dr̄ in dicta decre
tali. Bñdixit ⁊ fregit ⁊ cetera. Nota ſm tho. in. 3.
parte. q. 78. ar. i. i. R. ad. i. q̄ euangeliſte nō ſemꝑ
eundē ordinem in recitādo ſeruauerūt: quo res
geſte ſunt: vt pꝫ per augu. Unde ītelligendū ē or/
dinē rei geſte huiuſmodi ſic exp̄mi poſſe. Accipi
ens panē bñdixit dicēs: h̄ ē. c. m. Et deinde fregit
⁊ dedit diſcipul' ſuis dicēs: h̄ ē. n. c. m. Senſus ē: qd̄
continet̄ ſub his accidentibus. ſ. panis eſt corpus
meum. Eſt aūt ſecundū tho. in tertia parte vbi ſu/
pra hec ꝯuenientiſſima forma. Dꝫ. n. formā ſacra
menti ſignificare id quod in ſacramēto efficitur.
Unde forma ꝯſecratiōis panis dꝫ q̄ ſignificet ip/
ſā ꝯuerſionē panis in corpꝰ xpi: nō aūt debuit ſi/
gnificari talis ꝯuerſio in hac forma: vt in fieri: ſed



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vt in facto eſſe. Et rõ vna eſt: qꝛ hec ↄuerſio nõ ẽ
ſucceſſiua ſed inſtantanea. In huiuſmodi aũt mu
tationibus fieri nõ eſt niſi factũ eẽ ꝛ ideo ꝛ ceťa.
Illud.n.ẽ appoſitũ ſm morẽ romane eccľe tradi
tũ a beato petro: ꝛ hoc ꝑpter cõmutationẽ ad ꝑ
cedentia. Forma ↄſecratiõis ſãguinis ẽ hec. Hic
eſt enĩ calix ſanguinis mei noui ꝛ eterni teſtamẽti
myſteriũ fidei q pro vobis ꝛ ꝓ multis effundeť
in remiſſionẽ peccatoꝝ: oĩa iſta ſm tho.3.p.q.78
ar.3. ſunt de ſuba forme: excepto.n. Ponit aũt hic
cõtinẽs ꝓ cõtento. Unde ſenſus ẽ. Hic ẽ ſãguis cõ
tentus ĩ calice de q̃ hic fit mẽtio. qꝛ.n. ſanguis xp̃i
cõſecratur in hoc ſacramẽto in quãtũ ẽ potus fi
deliũ: qd nõ ĩportatur ĩ rõne ſãguinis: ideo opor
tuit hoc deſignari ꝑ aliquid huic vſui accõmoda
tũ.ſ. vt calicẽ noui ꝛ eterni teſtamẽti. Exponit in
noc. extra de cele.mi.c.cum marthe. ſic noue ꝛ etẽ
ne ꝓmiſſionis cõfirmator. Teſtm̃.n. vt dicit tho.
ẽ diſpoſitio hereditatis: hereditatẽ aũt celeſtẽ de
us diſpoſuit hominibus dãdã ꝑ virtutẽ ſãguinis
xp̃i. Dr̃ aũt teſtamentũ nouũ rõne exhibitiõis: qꝛ
nõ in figura datur: vt ĩ veteri teſtamẽto. Eternuꝫ
dr̃ tam rõne hereditatis q̃ꝫ rõne eťne dei ꝑordi
nationis. Myſteriũ fidei non ad excludendũ reĩ
virtutẽ: ſed ad oſtẽdendũ occultationẽ q̃ſi quod
dã ſecretũ: quod ſola fide teneť: ꝛ nõ cernitur. Et
qꝛ ſãguis ſeorſũ ↄſecratus a corpore expreſſius
repreſẽtat paſſionẽ: ideo in ↄſecratiõe ſanguinis
fit mentio de paſſione ꝛ fructu eius: dũ dr̃ qui ꝓ
vobis ꝛ ꝓ multis ꝛ cetera: ꝓ vobis.ſ. iudeis: vľ ꝓ
vobis manducantibus: ꝛ ꝓ multis.ſ. gẽtilibus ꝓ
quibus offertur. Hoc q̃tienſcũqꝫ ꝛ cetera: nõ ẽ de
ſuba forme. ¶ Exprimitur tertio rei ↄſecrate cõ-
memoratio. Unde dr̃: vnde ꝛ memores ꝛ ceťa.
Qꝫ autẽ poſt cõſecrationẽ ſacerdos extẽdit bra
chia deſignat extenſionẽ chriſti in cruce ſm tho.
Qꝫ aliqñ leuat manus in orãdo: deſignat q̄ orõ
eius dirigitur ꝓ ppľo ad deũ. Qꝫ aliqñ man⁹ iun
git ꝛ inclinat ſignat humilitatẽ ꝛ obedientiã xp̃i
in paſſione. Digitos aũt iungit poſt cõſecrationeꝫ
.ſ. pollicẽ cũ indice, ob reuerentiã ſacramenti: ne
ſiqua ꝑticula digitis adheſiſſet: diſpergať. ¶ Su
praqꝫ ꝓpitiatõ ꝛ ceťa. hic petit ſacramẽti effectũ.
Et primo petit ſacramẽtũ acceptari: qd eſt cã gra
tie dicens: reſpicere digneris ꝛ ceťa: munera pue
ri tui iuſti abel ꝛ ceťa. Ubi nota ſecundũ tho. q̄ lꝫ
hoc ſacrificiũ preponatur oĩbus ſacrificijs antiq̃s
illa tñ fuerũt deo acceptiſſima ex deuotione of-
ferentiũ. Petit ergo ſacerdos vt accepteť hoc ex
deuotiõe offerentiũ ſicut illa abel. Secũdo petit
dari ipſũ donũ gr̃e.d. ſupplices te rogamus ꝛ ce-
tera. Ubi nota ſecundũ tho. q̄ ſacerdos nõ petit
q̄ ſpẽs ſacramẽtales deferantur in celũ: neqꝫ cor
pus xp̃i verum: qd ibi eſſe nõ deſinit: ſꝫ petit hoc
pro corpore xp̃i myſtico qd in hoc ſacramento
ſignificať: vt.ſ. orõnes ſacerdotis ꝛ ppľi angelus
aſſiſtens diuinis myſterijs deo repreſentet. Su-
blime altare dei dicitur vľ ipa eccľia triumphãs
in qua trãſferri petimus: vel ipſe deus cuius parti
cipatõeꝫ petim⁹. vľ ꝑ ãgelũ ĩtelligiť ipe xp̃s. q cor
pus ſuũ myſticũ deo pr̃i cõiungit ꝛ eccleſie triũ
phanti. Tertio petit effectũ glorie dari defunctis
dicens: memẽto dñe ꝛ ceťa. de conſe. di.5. viſum.
Statutũ eſt: vt in oĩbus miſſis fiat oratio pro de
functis: ꝛ hoc fit ĩ iſto paſſu generaliter ꝓ oĩbus:
ſed in ſpeciali põt ſecrete orare pro quolibet: quẽ
tñ nõ credit dãnatum. Unde dr̃: in chriſto q̇ſcẽ
tibus. Cum aũt dicit ſacerdos: nobis quoqꝫ pctõ
ribus paululũ expreſſa voce ꝑcutiť pectus ſuũ di
cendo: nobis q̃ꝫ pctõribus tũdit pectus. Sic ꝛ pu
blicanus ꝑcutiebat pect⁹. luce.7.c. In tũſione pe
ctoris tria ſunt.ſ. ictus ſonus ꝛ tact⁹: ꝑ que ſignanť
cõtritio qua ꝑcutiť cor doloris ↄfeſſio qua fit vo
ce, ſatiſfactio: q̃ opere dſignata ꝑ tacta. Et hoc qꝛ
peccamus cogitatione locutõe ꝛ ope. Cõpletur ãt
canon miſſe more aliaꝝ orõnum in xp̃o: ibi ꝑ xp̃ꝫ
d.n. ꝛ ceťa: ꝑ quẽ hoc ſacramẽtũ originẽ hꝫ: ꝛ quã
tum ad ſubam. Unde dicit: creas ꝓpter eſſe natu
re: ſãctificas ꝓpter eſſe ſacramenti: ꝛ quantũ ad
virtutẽ. Unde dicit: viuificas ꝓpter effectũ gr̃e: q̃
eſt vita aĩe: bñdicis ꝓpter gr̃e augmentũ ꝛ quan
tũ ad operationẽ ſiue vſũ: vñd dicit ꝛ preſtas no
bis. Tãdẽ ponitur ſacramẽti ꝑceptio. Ibi orem⁹
p̃ceptis ꝛ cetera. Et circa hoc p̃mo poniť ad ipſuꝫ
ꝑparatio cõis: ſecũdo ſpecialis. Et cõis ẽ triplex.
Primo.n. ponitur ſacramenti petitio ĩ ipſa orõne
dñica: cũ dr̃: panẽ nr̃m ꝛ cetera. Secũdo ꝑcipien-
tiũ expiatio ꝑ orõnem ſacerdotis dicentis: libera
nos ꝛ cetera. Tertio pacis adipletio: ibi pax dñi:
hoc.n. eſt ſacramentũ vnitatis ꝛ pacis: ꝛ qꝛ pacis
petitio exuperat oẽm ſenſũ: iõ pacis petitio ĩcho
tur a ſacerdote: cũ dicit: pax dñi: ꝛ a choro ↄpleť
cũ dr̃: agnus dei: ꝛ ſic tria a ſacerdote incepta cho
rus ꝓſequitur.ſ. gľia in excelſis: quod ꝑtinet ad
ſpem. credo in vnuꝫ deũ quod pertinet ad fidẽ.
pax dñi quod ꝑtinet ad charitatem. Petit autem
ppľs mĩam quantũ ad amotionẽ mali ↄtra miſe-
riam culpe ꝛ pene: ꝛ pacẽ quantũ ad conſecutionẽ
oĩs boni. Unde tripliciter agnus dei dr̃: hec oĩa
tho.in.4. di.8. in expoſitione littere. Et nota q̄
fractio hoſtie ſm tho.4.ſ. di.12.q.1.ar.3. in corpo-
re.q. tria ſignificat. Primo ipſã diuiſionẽ corporꝭ
xp̃i q̃ facta ẽ in paſſione. Secũdo diſtributioneꝫ
gratiaꝝ ꝓcedentiũ ex paſſione xp̃i: vt dicit dio⁹.
Tertio diſtĩctionẽ corporis myſtici ſcdm diuer-
ſos ſtatus. Et qꝛ ſtatus ſunt.3. iõ tres ꝑtes fiũt. Uñ
Sergius papa. de cõſe. di.2.c. triforme dicit. Tri
forme ẽ corpus dñi. Pars miſſa in calice corpus
xp̃i: qd iam reſurrexit demonſtrat.ı. ipſũ xp̃um ꝛ
beatã virginẽ: ꝛ ſiq ſũt alij ĩ gľia cũ corpore. Pars
comeſta ãbulans ſuꝑ terrã: qꝛ.ſ. viuẽtes ĩ terra ſa
cramento vtunť: ꝛ paſſionib⁹ atteruntť: ſicut pãis
comeſt⁹ atteriť dentib⁹. Pars in altari remanens
vſqꝫ in finẽ miſſe ſignificat corpus xp̃i remanẽs
ĩ ſepulchro vſqꝫ ad finẽ ſeculi: qꝛ corpora ſanctoꝝ
in ſepulchris erũt: quoꝝ aĩe ſunt vel in celo vel in
purgatorio: hic tñ ritus non ſuať mõ: vt.ſ. vna ꝑs
reſeruetť ĩ fine miſſe. Manet tñ eadẽ ſignificatio

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

gtiã. vñ ꝟſus. Hoſtia diuidit̃ i ptes: tîcta beatos.
Plene ſicca notat viuos: ſeruata ſepl'tos: hec tho.
Alij aliter aſſignãt iſtã ſignificationẽ: ſed nõ ẽ ei⁹.
Preparatio aũt ſpãlis ſacerdotis ſumẽtis fit per
orõnes quas ꝑuatim dicit. Dñe ieſu xpe: ꝛ ſique
alie ſunt. Et nota ſecundũ tho. i tertia pte: ꝙ ſi ꝓ
pter frigus manuũ vel alias ꝓpter negligentiam
ãte fractionẽ vel poſt: hoſtia cõſecrata labat̃ i ca-
licẽ: qꝛ hoꝝ pretermiſſio nõ facit ad ꝑfectionẽ ſa-
cramẽti: ſed ad ſignificationẽ tñ: iõ nõ ẽ neceſſe
iterare aliq̃d circa celebratõez ſacramẽti ꝓpt hu
iuſmõi defectũ. hec tho. Et ſi medietas hoſtie la-
bitur: põt ꝛ dꝫ medietas alia q̃ remanet diuidi in
duas ptes: cũ apte poſſit hoc fieri: vt ſit ſignifica-
tiũ. Si aũt tota dilabitur ſi nõ ẽ tota madida: ſed
pars aliq̃: ꝛ põt cõmode extrahi ð calice: ꝛ adhuc
diuidi ſine multa ꝯtractatione ptis madefacte: dꝫ
fieri ꝓut melius põt. Itẽ ſi ſumendo ſanguinẽ re
manet ps hoſtie in calicẽ miſſe i fũdo calicis: põt
digito ad labiũ calicis adduci ꝛ ſic ſumi. ¶ Tertia
ps ꝑncipalis ẽ gratiaꝝ actõis: ꝛ ꝯtinet duo. ſ. reme
moratiõnẽ accepti bñficij in cantu antiphone p⁹
cõionem ꝛ gratiaꝝ actiõem ex orõne quã ſacer-
dos ꝑſeqr̃: vt ꝯformiter finis miſſe ꝑncipio reſ
pondeat. Et ſciendũ ꝙ in officio miſſe quedã ver
ba ꝯtinent̃ greca: ſicut kyriel'. quedã hebraica vt
all'a oſãna ꝛ ſabaoth: quedã latina vt alia: qꝛ his
trib⁹ liguis ſcript⁹ ẽ titulus crucis xpi Io. 19. hec
tho. in. 4. Terminat̃ miſſa poſt ite miſſa ẽ: qõ dr̃
ſi ꝑceſſit gl'ia in excelſis deo: alias bñdicam⁹ dño
vel requieſcant i pace: ſi celebrat̃ ꝓ defũctis: termi
natur ꝑ bñdictionẽ ſacerdotis. Unde de ꝯſe. di. i.
c. miſſas. dr̃ ꝙ nullus ãte bñdictionẽ ſacerdotis
egredi ꝑſumat. ſ. dieb⁹ dñicis. Euãgeliũ aũt in
ꝑncipio erat verbũ: ẽ ad placitũ illud vl' aliud: dꝫ
tñ in hoc ſeruari mos pr̃ie. Poſt ꝑceptionẽ autẽ
ſacramẽti ſumit̃ vinũ ad abluendũ os: ne relige
alique remaneãt iter dẽtes: qõ ptinet ad reueren-
tiã ſacramẽti: ꝛ hoc ẽ verũ: niſi eadẽ die deberet
iterũ celebrare: qꝛ tunc nõ dꝫ ſumere purificatio
nẽ: ꝙ ſi ſumeret nõ poſſet ãplius illa die celebra-
re: cũ nõ ſit ieiun⁹ extra de cele. mi. c. ex parte. Et
eadẽ rõne. ſ. ꝓpter reuerentiã ſacramẽti abluit ẽt
digitos q̃bus tetigit ſacramentũ: ſi tñ aquã ſume
ret i purificationẽ: ita poſſet fieri ſicut cũ vino ad
libitũ ſacerdotis. Pro expoſitione aũt aliq̃ ꝛ bre
ui ipſius orõnis dñicalis: nota hic q̃ ponit tho. 22.
q. 83. ar. 9. in corpore. q. Dicit. n. ꝙ ipſa orõ ẽ perfe
ctiſſima: ꝛ ſm augu. ſi recte oramus: nil aliud di-
cere poſſumus. ſ. quantũ ad ſubam. Nã ꝑmo po-
nuntur illa ꝑ q̃ in nobiſipſis fiduciã excitamus. ſ.
ꝯſiderando charitatẽ eius ad nos: qꝛ bonũ nr̃m
vult: ꝛ ideo dicim⁹ pr̃ nr̃. Et ꝯſideratio excellẽtie
q̃ nos põt iuuare: ꝛ ideo dr̃ q̃ es in celis. Deide ſe
quunt̃. 7. petitiones: ꝛ eo ordine q̃ petende ſunt.
Prima ptinet ad dilectionẽ dei: qua deũ in ſeipo
diligimus: cũ dicimus: ſanctificet̃ nomẽ tuũ. i. ſan
ctum ab hõibus habeat̃: qõ ptinet ad gl'iaꝫ dei i
hõibus ꝓpagandã. Secũda ptinet ad dilectionẽ
q̃ diligim⁹ nos: cũ dr̃: adueniat regnum tuũ: ꝑ qõ
petim⁹ ad gl'iam eius ꝑuenire. Tertia petitione
petit̃ directe illud ꝓ quo beatitudinẽ meremur:
cũ dr̃: fiat volũtas tua ſicut i celo ꝛ i terra. Quar
ta ẽ ꝑ quã petitur illud: q̃ iſtrumentaliter iuuant̃
ad merendũ: cũ dr̃: panẽ nr̃m. q. d. n. hodie: ſiue h̃
ĩtelligat̃ de pane ſacramẽtali cuius q̃tidian⁹ uſus
ꝑficit hõi. In quo ẽt ĩtelligunt̃ alia ſacramenta:
ſiue ẽt ĩtelligat̃ de pane corporali ſub q̃ cõprehẽ
ditur oĩs ſufficientie vict⁹. Quinta ẽ remotio eius
qõ eſſet ĩpedimẽtũ prime petitõis: qꝛ directe ex
cludit a regno. ſ. pctm̃: vñ dr̃: dimitte nobis debi
ta noſtra ſicut. ꝛ. n. d. de. n. Sexta ẽ remotio eius
qõ nos ĩpedit a ſecũda petitõe ab obſeruãtia di-
uine volũtatis: cũ dr̃: ꝛ ne nos ĩducas ꝛ cetã: ꝑ qõ
nõ petimus ne tẽtemur: ſed ne a tentatiõe vinca-
mur: qõ ẽ in tentationẽ ĩduci. Septima ẽ remo-
tio penalitatis ꝑſentis q̃ ẽ ĩpeditiua tertie petitio
nis. ſ. ſufficientiã circa vitã: vñ dr̃: ſed libera nos
a malo amẽ. i. ſic fiat. Exinde dr̃ pax dñi ꝛ cetera.
qõ ſeq̃tur agnus dei ꝛ cetã: vbi bis petimus miſe
ricordiã. ſ. quãtũ ad aĩam ꝛ q̃ntũ ad corpus libe
rari a miſeria. Et dr̃ ter agnus dei petẽdo pacem
. ſ. quantũ ad vtrũqꝫ. i. mentalẽ ꝛ corporalẽ. Exi
de ſacerdos deoſculat̃ eucariſtiã vel calicẽ ſe-
cundũ alios: ꝛ poſtea ab eo diacon⁹ accipit oſcu-
lũ pacis ꝛ deĩde alij. Agnus dei dici iſtituit ſergi⁹
papa. Oſculũ pacis dari iſtituit innoc. i. ꝛ leo ſecũ
dus: ꝛ ſignificat vnitatẽ dilectõis: quã debẽt hr̃e
adĩuicem fideles: quã ſignificat ipſũ ſacramentũ:
ꝛ ẽt aſſenſũ ſacris myſterijs: ꝛ his q̃ celebrant̃ in
eccleſia. Et ẽ q̃ſi loco cõionis quã ãtiq̃tus ĩ feſtis
oẽs fideles ſumebant. In miſſa tñ defunctoꝝ ſa-
cerdos nec ſumit nec dat oſculũ pacis: qꝛ defũcti
ſũt abſqꝫ ꝑturbatione pacis: illi. ſ. q̃ ſũt in purgato
rio cum peccare nõ poſſint. Sũpto vero ſacramẽ
to dr̃ ãtiphona poſt cõionem: q̃ a quo fuerit inſti
tuta ignorat̃: ꝛ deinde oratio: qõ totũ pertinet ad
gratiaꝝ actionẽ de tãto bñficio: ꝛ finit̃ per ite miſ
ſa ẽ. qõ ſic exponit̃. Ite ad ꝓpria: qꝛ miſſa eſt ſeu
oblata ẽ hoſtia deo ꝓ humano genere: vel miſſa
eſt oratio ad deũ ꝓ ppl'o ꝛ finita: vel ite poſt xpm
ꝛ ſequimini ipſũ: nõ ſtetis in mũdo: ſed feſtinetis
ad pr̃iam per bona opa: qõ leuiter poteſtis facere
qꝛ miſſa eſt ad placandũ deũ patrem hoſtia per
quã cõfracta ſũt tartara: ꝛ patet ĩtroitus paradiſi.
Quãdo nõ preceſſit gloria in excelſis: termĩatur
ꝑ bñdicamus dño: vel requieſcant in pace ĩ miſſa
ꝺfunctoꝝ. Eſt aũt eucariſtia nõ ſicut alius cib⁹
maſticãda: ſed diſcrete ꝛ moderate ꝛ leniter ante
rioribus dentibus terẽda ꝛ lingua mollificanda:
ne qua pars eius dẽtibus ĩhereat: ne ꝯtingat ex-
pui: ſed nec ſubito poſt cõionez dꝫ expui ꝓpter ſa
cramenti reuerentiã. hec autem gulielmus. d.

¶ De pertinentibus ad miſſam ꝛ de defectibus miſſe ꝛ diſpoſitione ad ipſam ꝛ frequentatione ꝛ vtilitate. c. vi.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Miſſa quotidie in ec
cleſia celebratᷓ: ⁊ hoc ſecūdū innoc. qnqꝫ
de cauſis. Prima qꝛ oꝫ ſemꝑ medicinā eſſe para
tā ꝯtra quotidiana pctā. Secundo vt lignū vite
ſemꝑ ſit in medio paradiſi. Tertio vt nobis quo
tidie xp̄s vniatᷓ ſacramētaliter ⁊ nos ei ſpūaliter.
Quarto vt ſit apud nos iugis memoria paſſiōis.
Quinto vt vero agno loco typici q̄tidie vtamur
ad veſperā quē iudei ad veſperā ꝯuertendi eſu
rient: iuxta illud: ꝯuertentᷓ ad veſperā ⁊ cetera. pſal
mo. 58. Et nota ꝙ ad debitā miſſe celebrationeꝫ
quedā requiruntᷓ ad ſacramenti neceſſitatē: ⁊ q̄
dā ad ꝯgruā ritus ſolēnitatē: ⁊ quedā ad celebrā
tis vel ſumētis idoneitatē. Ad ſacramēti quidem
neceſſitatē tria requiruntᷓ. ſ. debita materia debi
ta forma: ⁊ miniſter itendēs cōfeſſionē ſeu conſe
crationē: ſi aliqd iſtoꝝ defuerit: cōfici nō poterit.
Sed his tribus ꝯcurrentibus etſi oīa alia defice
rent: ꝯficeretᷓ ſacramentū: q̄uis male ex pte offe
rentiū: qꝛ ꝯtra eccleſie morē. Eſt aūt debita mate
ria huius panis triticeus aqua naturali ꝯfectus: ⁊
vinū vitis. Et hoc ideo qꝛ xp̄s creditᷓ cōfeciſſe in
tali materia: qꝛ apl̄i qui p̄ſentes fuerūt: tradiderūt
nobis hunc modū. tū qꝛ xp̄us qui ē in ſacramēto
cōparauit ſe frumēto ⁊ viti: tū et qꝛ talis panis ⁊
tale vinū neceſſarius ⁊ melius nutrimētū p̄ſtant:
vn̄ ⁊ melius ſignificāt effectū ſacramenti ſecundū
doc. eccleſie. Igitᷓ p̄mo ſciendū ē: ꝙ cōficiēs p̄mo
in pane fermētato grauiter peccat: qꝛ facit cōtra
ſtatutū ⁊ ꝯſuetudinē eccleſie: ſed ſicut latinus cō
ficiens in fermēto peccat mortaliter: ita grecus ī
azimo: hoc qꝛ faciūt ꝯtra eccleſie ſue ritum: quā
uis ſit rationabilius ꝯficere ī azimo ſecūdū tho.
3. pte. q. 74. ar. 4. in corpore. q. ⁊ in. 4. ſ. di. xi. q. 2.
ar. 2. q. 3. in corpore. q. ⁊. 4. ꝯtra gentiles. c. 63. Si
vero ꝯficiat in pane q̄ īcipit corrumpi ſimilitᷓ pec
cat: etiā conficiēdo in azimo ꝓpter irreuerentiaꝫ
ſacramēti: tn̄ pane tali ꝯficitᷓ ſacramentū: ſed ſi pa
nis adeo ſit corruptus: ꝙ in eo deficit ſpēs panis:
nō pōt ꝯfici: hoc eſt per verba ſacerdotis nō effi
citᷓ corpus xp̄i: ⁊ ꝙ ſpēs maneant pōt ꝑpendi ex
hoc: ꝙ ꝯtinuitas nō eſt ſoluta: nec alia accidentia
vel eſſentia oīa ablata. hec tho. ⁊ alb. Itē ſi grana
alterius generis ſint admixta tritico in tāta quā
titate: ꝙ aliā ſpēm faciant ſiue ꝙ mediū ꝯſtituant
nō pōt ex eo ꝯfici ſacramētū: ex modica vero q̄n
titate nō īpeditur. tho. ⁊ alb. ⁊ pe. Si panis ſit de
aqua roſacea ꝯfectus: dubiū ē īter doc. ſi pōt cōfi
ci. Durādus ordinis minoꝝ dicit ꝙ ſic: ſed ſāctus
tho. dicit eſſe ꝓbabilius ꝙ nō poſſit ꝯfici: ipſe āt
tho. 4. ſ. di. xi. q. 2. ar. 4. q. 3. in. R. ad ſcōꝫ dicᷓ ſim
pliciter ꝙ nō pōt ꝯfici ex pane coagulato ſeu fa
cto cū aqua roſacea vel alio liq̄re q̄ꝫ aqua natu
rali: ⁊ idē recitat tho. tertia pte. q. 74. ar. 7. i. R.
ad vltimū. De ſpelta ⁊ farre q̄uis quidā dixerint
ꝙ poſſit cōfici: pe. tn̄ dicit ꝙ cōis ſentētia doctoꝝ
eſt: ꝙ nō pōt ꝯfici: idē ricar. in. 4. di. xi. tho. etiaꝫ
in tertia pte. q. 74. ar. 3. dicit ꝙ de hoc nō poteſt

ꝯfici: qꝛ ex tritico iſta nō generantᷓ: ⁊ ſic non ſunt
euiſdē ſpeciei cū tritico. Sed pe. de pal. in. 4. di.
xi. tenet cū alb. ꝙ pōt cōfici de ſpelta ⁊ farre ſicut
de tritico: ⁊ rōnem aſſignat: qꝛ ſunt vnius ſpeciei:
⁊ nō ex eo ꝙ frumentū ſit genus ad triticū ⁊ far ⁊
ſpeltā. Cōptū ē enīꝫ: ꝙ in eadē terra triticū ſemi
natū vno āno generabat ſpeltā vel far: ī alio triti
cū. Et ſi dicatᷓ ꝙ ſpelta nunq̄ꝫ generat triticū: licet
ecōuerſo: nō obſtat: qꝛ forte hoc eſt ꝓpter iꝑfe
ctā virtutē ī ſpelta: ⁊ ſimiliter ꝙ triticum generat
ſpeltā vel far eſt ex debilitate virtutis: ſicut aliq̄
maſculi nō poſſūt generare niſi feminas: nec aliq̄
femine niſi femīas. Sed ſicut maſculus ⁊ femina
nō differūt ſpecie: ita nec triticū ſpelta ⁊ far. Et ſi
dicatᷓ ꝙ alicubi tritico ſeminato creſcit hordeuꝫ
alibi ſiligo alibi loliū: nec tn̄ ꝓpter hoc ſunt vni
ſpeciei. Dicendū ꝙ verū ē: nec de ipſis ꝯfici pōt:
qꝛ huiuſmōi tria generantᷓ ꝑ accidēs ⁊ via corru
ptionis: ſicut ex vino generatᷓ acetū: vel ſicut ex
ſudore animal ꝑfecti generatᷓ aīal iꝑfectū puta
vermis. Sed far ⁊ ſpelta via generationis ex triti
co: ſicut ex ſeminatōe animal ꝓducit animal ⁊ oli
ua oliuā: hec pe. Cū ḡ certū non ſit, vtrū ſint euiſ
dem ſpeciei āte cōfectionē: tenenda videtᷓ opinio
tho. vt pꝫ. 4. ſ. di. xi. q. 2. ar. 2. q. 1. in corpore. q. vt
ſ. nō ꝯficiatur ex his. Sed ſi ꝯfectū ſit opinio pe.
pro ſacramēto habeatᷓ: p̄ſuppoſito ſi eſt ꝯfectuꝫ: ⁊
idē dicit: qō de amido cū ſit paſta cruda ⁊ nondū
panis: ꝯfici nō pōt: ſed ſi ide fiat pāis cū ſit farina
tritici purgatiſſima pōt ꝯfici. Si ſacerdos infra
miſſā āte ꝯſecrationē aduertit hoſtiā nō eſſe tri
ticeā vel eſſe corruptā: remota illa hoſtia aliam
ponat: ⁊ a canone reincipiat. Si vero poſt ꝯſecra
tionē: idē faciat ponendo aliā hoſtiā ⁊ eā ſumēdo
ſed nihilominus poſtea primā illā hoſtiā ſumat:
aut aliis ſumendā tradat: aut reuerēter ꝯſeruet.
pe. Idē ricar. in. 4. di. xi. Quod aūt dicit hic pe. re
incipiat a canone. b. tho. in ſimili caſu dicit reinci
piendū a verbis ꝯſecratiōis. 3. parte. q. 84. ar. vlti
mo in. R. ad quartū vt habetᷓ īfra. Si vero ſacer
dos aduertat ſupradictū defectū hoſtie poſtq̄ꝫ ſū
pſerit: licet in iſto caſu variēt doc. b. tho. in tria p
te vt ſupra tenet ꝙ dꝫ ponere aliā hoſtiā ⁊ ꝯſecra
re ⁊ ſumere: qꝛ p̄ceptū de ꝑceptione ſacramenti
maioris ē pōderis q̄ꝫ p̄ceptū qō a ieiunis ſumatᷓ.
Per id aūt quod dicit pe. ſi ſacerdos infra miſſaꝫ
aduertat hoſtiā nō eſſe triticeā vel corruptaꝫ: pꝫ
quid agēdū. Sed ſi nulla hoſtia fuerit poſita vel
ſi poſita ſit ꝑdita. Et ꝑ id quod dicit tho. ſi aduer
tat defectū hoſtie poſt eius ſūptionē: pōt hoc idē
ītelligi ſi aduertatᷓ etiā poſt ſūptionē ſanguinis. ſ.
ꝙ rurſus ponat nouū panē ⁊ nouū vinū: ⁊ ꝯſecret
atq̄ꝫ p̄ſequatᷓ: ne ſacramentū remaneat iꝑfectuꝫ
qō magis expreſſe apparebit īfra ibi ſtatim dice
re defectū vini: ⁊ ponentᷓ verba magis expreſſe
ipſius. b. tho. Ricar. aūt dicit: ꝙ ſi ſacerdos iam
ſūpſit hoſtiā dictā. i. nō coſecratā ſecūdū quoſdā
nihilominus dꝫ ſumere calicē conſecratum. i. ſan
guinē xp̄i: q̄uis nō ſit ieiunus: qꝛ neceſſitas cum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cogit: ne ſanguis remaneat ſic inaſſūptus: ſed ſi iā ſumpſit vtrūqꝫ. ſ. hoſtiā non ꝯſecratā ⁊ calicem cōſecratum: vel ecōuerſo: dicit ꝙ non debet illa die aliam hoſtiam conſecrare: quia ieiunus nō eſt: ſed opinio tho. videtur in hoc rationabilior ſcilicet ꝙ aliam conſecret propter ratione͂ ab eo aſſignatam.

## De vino primo ſciendū

ꝙ ſi vinū oīno factū eſt acetū: nō pōt de ipo cōfici ſacramentū ſāguinis xpi: qꝛ differunt vinuꝫ ⁊ acetū: exēplificat ſicut viuū ⁊ mortuū ſecundū philoſophū. Si vinū ſit in via q̄ſi aceſcendi: ide͂ iudiciū e͂ qd̄ de pane qui eſt in via ad corruptione͂. ſ. ꝙ pōt ꝯfici: ⁊ de tali pōt ītelligi dictū innoc. in libro de miſſa: cū dicit: ꝙ pōt ꝯfici cum aceto: vt exponit ricar. in. 4. peccat tñ cōficiens ꝓpter ſacrame͂ti irreuerentiā: idem tho. ⁊ alb. De muſto pōt confici: nō tñ fiendū de muſto recenti ꝓpter īpuritate͂ tho. ⁊ pe. De agreſta cōfici nō pōt: qꝛ differt a vino ſicut cōpletum ab īcōpleto. Ricardus in. 4. di. xi. Similiter de vua matura confici non pōt: qꝛ non eſt ſub ſpecie potabili ſed edibili: ⁊ de hoc e͂t de cōſe. di. 2. c. didicimus. Iteꝫ de vappa. i. aquarello nō pōt ꝯfici ſāguis xpi ſecundū alb. eſt. n. aqua fuſa ſuper acinos vuarꝫ vino expreſſo: q̄ hꝫ aliquantulū vini acume͂: ſed nō eſt vinū. Si aūt vino apponatur tanta aqua ꝙ nō ꝯuertat̄ in vinū: nō pōt ꝯfici: ⁊ nō dꝫ apponi aqua roſacea vel alia artificialis: ſi tñ apponeret̄ in tā modica q̄ntitate: ꝙ in vinū cōuerteret̄: cōficeret̄. tho. ⁊ pe. Si ſacerdos poſt conſecrationem corporis ⁊ ante conſecrationem ſanguinis percipiat vinum aut aquam nō eſſe in calice: dꝫ ſtatiꝫ apponere ⁊ ꝯſecrare. Si vero poſt oīa ꝯſecratiōis verba percipiat: ꝙ vinū nō fuerit poſitū: ſiquide͂ hoc percipiat ante ſūptione͂ corporis dꝫ depoſita aq̄ ſi ibi fuerit: pone͂ vinū cū aqua ⁊ reſumere a verbis ꝯſecratōis ſāguinis. Si vero ꝑcipit poſt ſūptione͂ corporis: dꝫ apponere aliā hoſtiam ſimul cum ſanguine iterum conſecrandā: ⁊ in fine ſumere hoſtiā iterū cōſecratam ⁊ ſanguine͂: nō obſtāte e͂t ſi prius ſumpſit aquā que erat in calice: qꝛ preceptū de ꝑceptione ſacrame͂ti eſt maioris pōderis q̄ꝫ preceptū ꝙ hoc ſacramentum a ieiunis ſumat̄. ꝑdicta tho. Predictis autem verbis ōmonſtrātur iſta duo que ſupradicta ſūt: cuꝫ de defectu panis dictuꝫ eſt. hic. n. dicit tho. ꝙ non ſufficit ſolum hoſtiā ſumere: ne īperfectū remaneat ſacramentū. Sed ſi ſolū ſanguine͂ aliquis cōſecraret ⁊ ſumeret: ita remaneret īpfectū: ſicut ſi ſolā hoſtiā conſecraret ⁊ ſumeret: tunc autem ſolū ſanguinem conſecraſſet ⁊ ſumpſiſſet. Si poſt conſecrationem ſanguinis cognoſceret: ꝙ hoſtia non fuerit triticea vl̄ ꝙ fuiſſet corrupta: vt hic dic̄ tho: etiam ſi ſolutū ſit ieiuniū: repetendū eſt ſacramentum: vt ſit integrum. Et cū miſſe celebritas terminetur benedictione ſacerdotis: vt dicitur infra nō ita iudicandū e͂ de ꝺfectibus miſſe reparandis ante benedictioneꝫ ſacerdotis: cū adhuc ſiet officiuꝫ miſſe: ⁊ poſt benedictionem quādo nunc ſolutuꝫ eſt officium miſſe: qꝛ poſt benedictione͂ quicquid fieret magis fieret iteratio miſſe q̄ꝫ reparatio defectus. Item ex verbis ſancti tho. imediate ſupradictis apparet: ꝙ in reparatione ſacramenti imperfecti ſatis ſufficiat reſumere a verbis conſecratiōis. vide tamen omnia ordinate ſupra repetenda: qꝛ vt dicitur. 7. q. i. nihil perfecta. Perfecta non poſſunt dici ſacramenta: que perfectum nō habēt ordinem. Et. h. tho. dicit ꝙ eſt īmane ſacrilegium: ſi non perficit̄ hoc ſacramentum. Unde ⁊ ꝯciliuꝫ toletanum tulit ſententiā excōicationis in eos: q cū poſſunt non perficiunt illud ſacramentū: vt pꝫ in loco decreti ſupra īmediate allegati. Si ſacerdos percipiat aquā non fuiſſe poſitam in vino ante cōſecrationem ſanguinis: ponat eam et dicat verba conſecrationis. Si aūt ꝑcipit poſt ꝯſecratione͂ ſanguinis: nullo mō dꝫ poſtea aquā appone͂: qꝛ nō eſt de neceſſitate ſacramenti: ⁊ ſequeretur corruptio ſacramenti in aliqua parte. Siquis tñ ante ꝯſecratione͂ ſcie͂ter omitteret appoſitione͂ aque: grauiter peccaret: qꝛ ageret ꝯtra ꝯſtitutione͂ eccleſie: ⁊ quia dñm appoſuiſſe credit̄. non ſufficit aūt ꝙ aqua apponatur: qñ adhuc vinū eſt in dolio: qꝛ hoc non ſignificaret aliquid: ſed oꝫ vt īminente oblatiōe apponatur ad ſacramentū. tho. Ponitur. n. in ſignificatione huiuſmōi: ꝙ populus qui ſignificatur per aquā: chriſto vnitur. Et ſecundum alb. dimittere talem appoſitioneꝫ aque ex heretica prauitate vl̄ ex contemptu vel ex negligētia vel ex occupatōe circa illicita eſt mortale. Dimittere autem ex negligentia precedente ⁊ ex occupatione circa vana temporalia eſt graue peccatum. Et ſi mihi contingeret: facerem emendam tanquam pro mortali. Si autem negligentia illa procedat ex occupatione circa vana: vel ex ſurreptione non eſt mortale. hec alb. Et nota ſecundum Ricar. in. 4. cum ſit equalis commixtio in calice ex vino ⁊ aqua: hoc poteſt fieri dupliciter. Uno modo ſecundum mixtorum equalem quantitatem molis: ſic aqua non ſolueret ſpeciem vini: magis enim eſt vinum actiuum q̄ꝫ aqua: nec generaretur tertia natura ex duobus: nec poſſet vinum conuertere in ſui naturam. Alio modo poteſt fieri ꝯpoſitio ſecundū eq̄leꝫ ꝯpoſitione͂ virtutis: ⁊ ſic ex illis duobus generaretur natura tertia: que nec eſſet vinum nec aqua: ſed nō ſtatiꝫ. Operatōes enī nature nō ſunt in inſtanti: quamuis earum termini ſint in inſtanti: ⁊ non ita cito poſſet ſacerdos conficere poſt talem vini ⁊ aque appoſitionem: ꝙ vinum cum adhuc non eſſet tranſmutatum ad compoſitionem nature tertie: conuerteretur in ſanguinem. Sed ſi ſacerdos conſecrat poſtquam facta eſt tranſmutatio ad tertiam naturam: confici non poteſt. Et dic̄ alb. ꝙ in illis terris vbi vinum nullo modo haberi pōt: debet haberi conſultatio ad curiam qd ibi fiendum: tñ ꝓpter intolerabile damnum animarꝫ

quod incurrit̃ ex defectu ſacramenti: videret̃ cuʒ
talibus eſſe diſpẽſandũ: vt corpus xp̃i ſine calice
cõficerent: quia corpus xp̃i nõ ẽ ſine ſanguĩe ꝛ aĩa
ꝛ deitate: q̃uis nõ ſit ibi ſanguis in hoſtia ex vir/
tute conſecratiõis ſacramẽti. hec alb. Item cũ ſpe
cieb⁹ vini poſt ꝯſecrationẽ admiſcet̃ aliqs liquoꝛ
dicit pe. ꝙ cũ ſpecies retineãt modũ ſubiecti ſui: ſi
cut poterat fieri additio vino ibidẽ exiſtẽti: ita põt fi
eri ſpeciei vini. Aut ergo addit̃ eiuſdeʒ generis li/
quoꝛ aut alterius. Si alteri⁹ vt aqua: aut id quod
additur ẽ equale: aut mai⁹ aut min⁹. Si maius nõ
tantũ quantitate ſed virtute tranſmutat naturam
ſpeciei ĩ ſe. Si equale: traſmutat̃ vtrũqꝫ ĩ naturaʒ
tertiã: ꝛ ſic vtroqꝫ modo deſinit ibi ſpecies vini eẽ
ꝛ ꝑ cõſequẽs ſãguis chriſti. Si ꝟo min⁹: traſmuta
tur ĩ naturã ſpeciei: verũtñ ſub partib⁹ ill' ad quas
liquoꝛ additus penetrat: cũ nõ ſint ibi accidentia
ſine ſubiecto: deſinit eſſe ſãguis xp̃i. Si addit̃ liq̃ꝛ
eiuſdẽ generis vt vinũ: tunc iteꝝ aut liquoꝛ addi/
tus eſt maioꝛ: aut equal' aut minoꝛ. Si maioꝛ: tũc
ad omnes dimẽſiones ſpeciei peruenit: ꝛ eius con
tinuitatẽ totaliter ſoluit: ꝛ ſic iam alius liquoꝛ nu
mero quo ad accidẽtia eſſe ĩcipit: ꝛ ſãguis xp̃i ibi
eſſe deſinit: ſi eq̃lis ſimiliter cõtingit: ſi minoꝛ' tũc
ad omnes dimẽſiones ſpeciei non peruẽit. Sub
partib⁹ ergo illis ad quas peruenit vinũ additũ:
deſinit ibi eſſe ſãguis: cũ iã accidentia nõ ſint ſine
ſubiecto: ꝛ cõtinuitas ſpeciei q̃ erat ſine ſubiecto:
ſoluta ſit. Sub partib⁹ ꝟo illis: ad quas nõ perue/
nit: manet chriſti ſanguis: concoꝛdat tho. ꝛ addit
pe. puto tñ ꝙ ſi nõ eſt notabilit̃ excellẽs nimis qđ
additur propter dubium toto liquoꝛe ipſo tãqꝫ ſa
cramento vtendum eſt.

## Pro noticia foꝛme ſciẽ/

dum eſt: ꝙ amboſius in libꝛo de ſacramentis di
cit: ꝙ hoc ſacramentum conficitur ĩ verbis ꝛ ſmo
nibus chꝛiſti: ex quo dicto concludit. b. tho. ꝙ foꝛ
ma conſecrationis huius ſacramẽti ſit: hoc eſt eñ
coꝛpus meũ: videlicet quãtũ ad ꝯſecrationẽ coꝛ/
poꝛis: ꝛ hic ẽ. n. calix ſãguinis mei noui ꝛ eterni te
ſtamẽti myſteriũ fidei: q pꝛo vobis ꝛ pꝛo multis
eſſũdet̃ ĩ remiſſionẽ peccatoꝝ. Illa ꝟo ꝟba accipi
te ꝛ manducate: pertinẽt ad vſuʒ materie cõſecra
te: ſimiliter illa ꝟba hec q̃ciẽſcũqꝫ feceritꝭ ĩ mei me
moꝛiã facietis: pertinẽt ad vſũ huius ſacramẽti: q
vſus ñ ẽ de neceſſitate ſacramẽti: vt idẽ tho. dicit.
Item illa cõiunctio enim nõ eſt de ſubſtãtia foꝛ/
me tñ dici dʒ ſcđʒ vſuʒ eccl'e: q vſus a beato petro
initiũ ſũpſit ẽt tho. Nota ſecũdũ pe. ꝛ alb. ꝙ de ſb
ſtãtia foꝛme ſãguinis ẽ tñ: hic ẽ calix ſãguinis mei.
Sʒ thomas ĩ q̃rto dic̃: ꝙ qꝛ cõditiones appoſite
ad ſubiectũ vel pꝛedicatũ ſũt de ĩtegritate locutõ
nis alicui⁹: ideo alij pꝛobabilius dicũt: ꝙ totũ qđ
ſeq̃tur: ẽ đ foꝛma: cũ totũ ħ qđ addit̃: nõ ſit locu/
tio ꝑ ſe ſed determĩatio ꝑdicati. Sciendũ ẽt ſcđʒ
tho. pe. ꝛ alb. i. 4. ſentẽtiaꝝ: ꝙ q̃libet foꝛma. ſ. coꝛ/
poꝛis ꝛ ſãguinis ꝑ ſe ꝓpꝛiã habet virtutẽ: ꝛ ꝓpꝛiã
completaʒ ſignificationẽ: ꝛ ꝓpꝛiam ꝛ determina/
tã materiã. vnde ꝛ pꝛopꝛiam opationẽ ꝑ ſe: ꝛ ideo
quelibet foꝛma ꝑ ſe cõplet ſuam opationeʒ: nec ſe
mutuo expectant: ꝛ ſub vtraqꝫ ſpecie totus ẽ xp̃s.
Si ꝑdicte foꝛme mutẽt̃: nihil efficit̃: ẽt ſi videãt̃
ꝟba ideʒ ſignificare: ſimilit̃ ſi aliq̃d de dictis foꝛ/
mis diminuit̃: niſi foꝛte eſſet aliq̃ lr̃a in fine dicti/
onis vt. m. ꝛ huiuſmodi: ꝛ ħ ex mala pꝛolatione:
q̃a ẽt ſic conficeretur. Si vero aliq̃d adderet̃: qđ
ſignificationẽ non mutaret nec erroꝛẽ induceret:
magnũ peccatũ eſſet tamen conficeretur. alb. vt ſi
diceret. hoc eſt coꝛpus meuʒ ſanctiſſimũ. Dicit ãt
ſãctus tho. ꝙ foꝛma pꝛedicta vtens ꝓnomĩe de/
monſtratiuo. oſtendit ꝙ materia ꝯſecranda debʒ
eſſe coꝛã ſacerdote. Vñ ſacerdos exiſtẽs in domo
ſua ñ poſſet ꝯſecrare panẽ: q eſt in altari. aut etiaʒ
ĩ foco. nec vinum qđ ẽ ĩ cellario. Sed quãtacũqꝫ
ſit quantitas panis ꝛ vini que coꝛã ſacerdote po
nitur: poteſt ab ipſo conſecrari. tho. Pe. autem đ
pal. dicit: ꝙ đ materia quã hʒ ſacerdos in ſua pꝛe/
ſentia: nõ eſt determĩata quãtitas: verbi gr̃a: vtrũ
exiſtens in oꝛe clibani maximi: vel exiſtens ĩ foco
maximo pleno panibus: vel exiſtens ĩ cellario ple
no vino: vtrũ poſſit conſecrare. hec oĩa ſimul ne/
ſcio de hoc: ſed ſi req̃ritur talis pꝛeſentia ꝙ ſimul
poſſit tãgere oĩa: tunc nõ poſſet ſimul centum ho
ſtias conſecrare: quas ſigillatĩ ſimul attingere nõ
põt. Et ſic ſufficit pꝛeſentia viſus: nõ qua actu vi/
deat: cũ cecus conficiat: ſed qua ſit viſibile: tũc ce
rem plenũ vſqꝫ ad celũ poſſet cõficere. Unde iſta
diſtantia ꝛ pꝛeſentia ꝛ quantitas materie nõ ſunt
apud hoĩes determinata: ſed đi noticie reſeruata.
verum eſt tamẽ: ꝙ non põt cõſecrare: niſi materiã
pꝛeſentẽ ꝛ ãte ſe poſitã: alias eſſet falſitas in ſacra/
mẽto veritatis ꝓpter illud ꝓnomẽ demoſtratiuũ
hoc vel hic hec pe. Dicit ẽt tho. ꝙ ſi ſacerdos non
recoꝛdat̃ ſe dixiſſe ea q̃ in ꝯſecratiõe eucharíſtie
dicunt̃: nõ dʒ ex hoc turbari: nõ eñ qui multa di/
cit: recolit oĩum que dixit. Si tñ ſacerdoti pꝛoba
biliter cõſtet ſe aliqua omiſiſſe: ſiquidẽ nõ ſunt de
neceſſitate ſacramenti: nõ dʒ reſumere ĩmutando
ſacrificij oꝛdinẽ: ſed dʒ vlterius pꝛocedere. Si ve
ro certificetur ſe omiſiſſe aliquid coꝝ que ſunt de
neceſſitate ſacramenti. ſ. foꝛmam conſecrationis:
debet reſumi ipſa foꝛma ꝛ cetera per oꝛdinem re/
citari. Miniſter autem: qui neceſſario requiritur:
ad conficiendũ hoc ſacramentum: eſt ſacerdos ba
ptiçatus. ſ. ꝛ oꝛdinatus ad ſacerdotiũ ſecundũ foꝛ/
mam eccleſie. Nam non baptiçatus ſacerdos cẽ
nõ poteſt: nec ꝑ ꝯſequens ꝯficere. Solis enim ſa/
cerdotibus data ẽ iſta poteſtas: ꝛ nõ alijs etiã quã
tũcũqꝫ ſãctis. Unde nec virgo maria nec ãgeli đi
ꝯficere poſſent ſecundũ doc. ſed q eſt oꝛdinatus ĩ
ſacerdotẽ rite quãtũcũqꝫ ſit malus excõmunica/
tus hereticus ꝛ degradatus: vere conficit: ſi ſeruat
debitam materiam ꝛ foꝛmaʒ: ꝛ habet intentionẽ.
character enim ſacerdotalis in quo conſiſtit po/
teſtas conſecrandi: ab homine tolli non poteſt:
quia non datur ab homine ſed a deo: licet mediã
te homine. ſ. epiſcopo qui operat̃ inſtrumẽtaliter:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſed vſus talis poteſtatis auferẽ ꝑdictis ꝑ eccliam.
Et ideo ad ſui pernicieꝫ ꝯſecrant:ſed tñ conſecrãt
vt dicũt tho.3.p.q.64.ar.9.ad vltimum alb.pe.⁊
cõit theo.⁊ hoſti. Unde opinio magiſtri ſentẽtia
rum i.4.di.11.que dicit cõtrariuꝫ.ſ.ꝙ hereticus ñ
cõſecrat:nõ teneẽ. Oportet autem ꝙ hoc ĩtendat.
nõ ſolum enim verba forme ſũt ad cõficiendum
neceſſaria:ſed etiam requiritur intentio:quia ſecũ
dum augu.ſine ĩtẽtione ĩ ſacramẽtis nihil agitur.
Unde.ſ.tho.dicit:ꝙ ad ꝑfectionẽ ſacramenti req
ritur ĩtẽtio miniſtri:q̃ ſe ſubijciat ꝑncipali agenti:
vt.ſ.intẽdat facere qꝺ facit eccleſia ⁊ xp̄s fecit:⁊ di
cit ꝙ nõ eſt neceſſaria ĩtẽtio actualis:ſꝫ ſufficit ha
bitualis vt cõficiat:puta vt ſi ſacerdos accedit ad
altare ad celebrandũ:ĩtẽdat facere qꝺ facit eccl̃ia
⁊ chriſtus fecit:perficitur ſacramẽtũ:ſi poſtea ſuſ-
pẽdatur eius ĩtẽtio per aliam occurrẽtẽ cogitatio-
nem ex virtute prime ĩtẽtõis ꝯficit:tñ ſtudioſe cu
rare debet miniſter ſacramẽti:vt ẽt actualẽ ĩtẽtio
nem adhibeat. Et dicit tho.ꝙ cũ aliquis ñ ĩtẽdit
ſacramẽtum ꝯficere:ſed deriſorie aliqd agere: ta-
lis peruerſitas tollit virtuteꝫ ꝯſecrãdi ⁊ virtutẽ ſa
cramenti:ꝑcipue qñ ĩtẽtiõem exterius manifeſtat.
Si autem ĩtẽtio miniſtri peruertitur q̃tum ad id
quod ſequitur ſacramẽtum:puta ſi ſacerdos ĩtẽn-
ꝺret ꝯficere corp⁹ chriſti:vt eo ad veneficia vtere
retur:q̃ꝛ prius nõ dependet a poſteriori:talis intẽ
tionis ꝑuerſitas veritatẽ ſacramenti nõ tollit: ſed
miniſter tali ĩtẽtiõe grauiter peccat. Pe. tñ dicit:ꝙ
ſacerdos ꝯſecrat q̃tãcũqꝫ materiam:dum tamen
ĩtẽdat hoc facere ad vſum ⁊ alimẽtum fideliũ:ali
as nõ. Sed opinio tho.melior. Dicit autem alb.ꝙ
ſi alique hoſtie ex oblitione remaneãt ĩ altari:aut
aliq̃ vini gutte adhereãt pedi calicis:⁊ ſacerdos ꝯ
ficit:nõ ſunt ille cõſecrate:q̃ꝛ de eis nõ ĩtendiẽ. Du
randus aũt ponit caſũ:ꝙ ſacerdos habeat corã ſe
vndecim hoſtias:⁊ ĩtendit cõſecrare decẽ:queres
quot ſint cõſecrate. Reſpõdet aũt diſtinguendo
dicẽs:ꝙ hoc põt primo duobus modis intelligi:
vno mõ ꝙ numerus ſit ſolũ in opiniõe ⁊ nõ ĩ ĩten
tione:in ĩtentione aũt ſit ꝯſecrare quicqꝺ ẽ corã
ſe:vt verbi grã:vt ſi aliqs habeat corã ſe vndecim
hoſtias ⁊ opinaẽ eſſe decem:ipſe nõ ĩtendit conſe
crare qcquid ẽ corã ſe. Patet ꝙ eius opinio ferẽ
ad numerũ. Unñ q̃ꝛ effectus cõſecrationis ſeq̇tur ĩ
ĩtẽtionẽ ⁊ nõ opinionẽ:oẽs ille hoſtie ſũt ꝯſecrate.
Alio mõ põt ĩtelligi ꝑdictus caſus qñ ĩ:hꝫ corã
ſe vndecĩ hoſtias:⁊ ĩtẽdit ꝯſecrate decẽ:vt nõ opi-
nio ſed ĩtentio feraẽ ad numerũ:ita.ſ.ꝙ non velit
ꝯſecrans pluſq̃ꝫ decẽ:ſed tñ decẽ ꝯſecrare: tunc in
tali caſu ꝑdict⁹ doctor facit ſecũdã diſtinctionẽ.d.
ꝙ duob⁹ ẽt modis ꝯtigeret. Uno mõ ꝙ ſciat vita
tẽ nũeri. Alio mõ ꝙ ignoret vitatẽ nũeri ⁊ ſi ſci
at vitatꝫ nũeri.ſ.ꝙ hoſtie ſint vndecĩ. ⁊ ipſe decẽ
tñ ꝯſecrare ĩtẽdit aut dcẽ diſticte ĩtẽdit ꝯſecrãe
.i.diſtiguit decẽ hoſtias q̃s ĩtẽdit ꝯſecrãe ab vna
quã nõ ĩtendit ꝯſecrare. Et tunc dicendũ ẽ ꝙ iſte
decẽ tñ ſũt ꝯſecrate:de quibus ĩtendit:⁊ illa de q̃
nõ intendit nõ eſt ꝯſecrata. Aut ſacerdos ſcit ho-
ſtias eſſe vndecim:⁊ ĩtendit ꝯſecrare decẽ non di
ſtinguẽdo vel determinãdo quas decẽ ĩtendit:⁊
quã vnam nõ intendit:⁊ ſic ĩtendendo decẽ ex il-
lis ꝯſecrare:tunc nulla ẽ ꝯſecrata:eo ꝙ ĩtentio nõ
fuit ad aliquã determinatã:⁊ cũ iſto dicto ſatis cõ
cordat.ſ.tho.in tertia parte.q.64.ar.9.ad primũ.
vbi dicit ꝙ miniſter ſacramentoꝝ eſt ſicut inſtru
mentũ principalis agentis.ſ.xp̄i vel eccleſie. Et cũ
tale inſtrumentũ habeat cognitionẽ:requiritur ꝙ
per ĩtentionẽ ſe determinet ad opus:qꝺ in virtute
principalis agẽtis ꝑducere debet:ideo ſequitur:
ꝙ vbi nõ determinat ſe:nihil operatur. Si vero
ſacerdos ignoret numerũ vndecĩ hoſtiaꝝ:⁊ inten-
dit decẽ hoſtias tñ cõſecrare:dicit idem durãdus
ꝙ eodẽ modo diſtinguendũ eſt:vtrum determi-
net quas decẽ ĩtendit vel nõ determinet. Et reſpõ
dendũ ẽ ſicut in ꝑcedẽti caſu ĩmediate dicto. Sꝫ
dubitaẽ quomõ:cũ numerus ignoretur:cui dubi-
tationi reſpõdetur:ꝙ põt contingere ꝙ decẽ ho-
ſtias videat extenſas:⁊ vna ibi lateat:ipſe aũt ĩten
dat oẽs quas videt:⁊ nullã aliam. vel põt eſſe ꝙ
ipſe decẽ poſuit:⁊ vna erat ibi quã neſciuit:ipe ve-
ro ĩtendat ſoluꝫ illas quas poſuit:⁊ redit hic caſus
in caſum ſupra poſitum alberti:q̃ꝛ tunc illa nõ eſt
conſecrata:quã neſciuit ibi eſſe:⁊ omnes alie ſunt
conſecrate. Si aũt ipſe vnam plus ibi poſuerit q̃ꝫ
crediderit:vel alius vndecim poſuerit:⁊ ipſe man
dauerit poni decẽ:⁊ nõ intendit conſecrare niſi de
cem tñ:tunc non eſt determinata eius ĩtentio:⁊ ſi
cut ſupra nulla ipſaꝝ eſt cõſecrata. Hec ille:cui cõ
cordat Jo.neapol.in.8.quodlibet. Et addit idem
Jo.ꝙ ſicut dictũ eſt de quãtitate diſcreta.ſ.de nu
mero hoſtiarum:ſic dicendum eſt ꝺ quãtitate cõ
tinua vnius ⁊ eiuſdẽ hoſtie. Si.n. ſacerdos inten
dat cõſecrare medietatem ſolum alicuius hoſtie
determinatam: tñ vtpote ſuperiorem ſolum vel
inferiorem aut dextram vel ſiniſtram illam ſoluꝫ
conſecraret: Sed ſi intenderet conſecrare medie-
tatem ſolum alicuius hoſtie: non determinando
intentionem ſuam ad aliquam partem deſigna-
tam vel determinatam predictis modis vel alijs
quibuſcunqꝫ:nihil penitus cõſecraret propter cau
ſam ſupradictam:q̃ꝛ.ſ.in tali caſu non eſſet deter
minata intentio miniſtri reſpectu alicuius ꝺtermi
nate materie. Sed pe.de pal.dicit ꝙ ẽ duplex opi
nio circa iſtam determinationem. Quidam enim
dicunt ꝙ oportet ꝙ fiat determinatio ſeu ſignifi
catio de parte hoſtie conſecrãda vel ſenſu vl' ima
ginatione:alias non conſecraret. Alij dicunt ꝙ ſuf
ficit determinatio iſta:vel ſignatio fiat intellectu:
⁊ ſi non ſenſu.intentio enim que exigitur eſt actus
partis intellectiue non ſenſitiue. Et quamuis alia
determinatio intellectus fit ſecundum per deter-
minationem ſenſus:hic autem non oportet ꝙ fit ſi
gnatio certe partis ſecundum ſenſum: quia nec
per viſum cum cecus poſſit conficere. nec per ta-
ctum:quia ⁊ ſine tactu manus poteſt conſecrare.
nec per imaginationem vel alium ſenſum:quia in
diuiſibile ſecundum ꝙ huiuſmodi non eſt ſenſu

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ꝑceptibile. Id autem quo quid continui ab alijs
diſtinguitur ſm ꝙ huiuſmodi eſt omnino indiui
ſibile: ſicut linea que ſm latitudinem eſt indiuiſi-
bilis: non tamen ſecundum ꝙ vnam partem diui
dit ab alia. Sufficit ergo ſignatio ſm intellectum
quia intellectus partem indiuiſibilem appꝛehen
dere põt: puta ſi de hoſtia plana intendat ſolã me
dietatem: que eſt a parte ſuperioꝛi: ꝛ non aliam vł
huiuſmodi. ¶ Utrum aũt plures ſacerdotes poſ
ſunt eandem hoſtiam conſecrare? dicit pe. de pal.
i. 4. di. 13. ꝙ circa hoc duplex eſt modus dicendi.
Unus eſt qui alb. ẽ: ꝙ vtiqꝫ poſſunt. ſ. ſimul id eſt
verba conſecrationis pꝛoferant. Ratio eſt qꝛ qua
ratione vnus ſacerdos vere cõſecrat: ſi ĩtendit: ea
dem ratione ꝛ alius qui ſimul pꝛofert verba: ꝛ ea
dem intentio ẽ. nec ſũt due ꝯſecrationes: ſed vna
qꝛ diuina virtus põt ſm beneplacitum ſuũ aliqd
vnum facere per miniſterium vnius vel pluriũ.
Si autem non ſimul pꝛoferant verba: ſed vnus
pꝛius altero: non poſſunt: ſed pꝛius pꝛoferens con
ſecrat: alij non. Alius modus dicẽdi qui ẽ. b. tho.
4. ſ. di. 13. q. 1. ar. 2. q. 1. in coꝛpoꝛe. q. 7. i. R. ad. i. eſt:
ꝙ etiam dato ꝙ non ſimul pꝛoferant verba: ſꝫ v-
nus poſt alium: tamen conſecrant: ꝛ huiuſmodi ra
tio eſt: qꝛ ſacerdos cum oꝛdinatur: conſtituitur in
gradu coꝛum qui in cena acceperunt poteſtatem
conſecrandi: ſed apoſtoli qui receperunt hanc po
